Wieczorkowski Stanislai: Quaestio de unitate et diversitate animae rationalis.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0002057

QVÆSTIO
DE
VNITATE
&
DIVERSITATE
Animæ Rationalis.

A

M. STANISLAO WIECZORKOWSKI,
Ad diſputandum in Alma Vniuerſitate Crac.
publicè propoſita.

Menſe Ianuario Die 5. Anno M. DC. XXXVI.
in Magna Aula Diui Iagellonis.

Permiſſu Magnifici Domini Rectoris.





CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Franciſci Cæſarij, 1636.

IN STEMMA.



MAgna decent magnos potuit contingere maius
Quid Patribus Poſnæ, quàm Petre Stēma tuum?
Ergo pios Patres iuſto tuearis amore,
Cum tibi præſtetur tantus honoris amor.
Tantus amoris honor Chriſto quem tu ipſe dediſti,
Vt te Clauigerum fecerit æthereum.

Andreas Białkowſki,
Phil. & Eloq. Auditor.

Amplissimo Perillustrium

E T

ADMODVM REVERENDORVM

DD. PRÆLATORVM

E T

CANONICORVM,

Cathedralis Ecclesiæ Posnanieñ.

CAPITVLO.

D. Dominis & Patronis Amplissimis

Perillustres & Admod. Reuerendi Domini, DD. & Patroni Amplissimi.



Tsi me autoritatis Vestræ spectata amplitudo & cõscia infirmitas plurimùm retrahebant à proposito meo: tamen beneuolentia Vestra & humanitas singularis nimium quàm inuitabat, vt Vos istius certaminis Philosophici quęrerem Tutellares & Patronos. Cui enim potiùs quantacunq; illa sit industria mea sudaret, quàm illis, quorum beneficentiâ, gratiâ, & fauore eximio est sustentata? Non excidet mihi vnquã Vestrorũ memoria beneficiorũ, & illius præstantis patrocinij, quod non solùm mihi, sed Academiæ etiam Posnanieñ: semper estis contestati. Plus mihi fauoris præstitistis, quàm potuit mea imbecillitas, non mereri

solùm

solùm sed etiã cogitare. Quia Vestra præstantissima bonitas ea in omnes est, vt ex se cæteros metiatur, neq; meritis quenquã, sed suo affectu & optima æstimet inclinatione. Credo ego Illustriss: illos & iam Sanctæ immortalitati cõsecratos Præsules, LVBRANSCIVM, & ROZRAZEVIVM, ad Illustrem hanc Ecclesiam Episcopalem sedem, Coloniã ex Academia Crac. deductam excitare voluisse, vel eam ob causam, vt quæ ornamento Ecclesiæ Cathedrali futura esset, etiam Vestro fauore, præsidio, foueatur, defendatur. Vos enim estis loci istius lumina: totius Diœcesis post Præsulem eminentiora Capita: præstantior pars hæreditatis Dñi: quibus ex tam sublimi loco intersit, minoribus quasi pupillis suis, vt benè sit prouidere. Quam gratiam cum Academia illa abundè semper cognouisset, ego quoq; exploraui singularẽ, cum me fauentissimis Vestris studijs beneuolentissimè semper essetis prosecuti. Quibus ego tantùm me debere profiteor, quantùm ab homine, post Deum, hominibus non quantiuis precij deberi fas est. Per istum idcirco Vestrum in literas fauorẽ supplex à Vobis Perillustres & Admod. Rñdi DD. postulo, vt ea beneuolentia, hoc qualecunq; gratitudinis meæ in Vos testimoniũ accipiatis, quali fauore literas & homines ad eruditionem aspirantes, atq; Academiam Vestram & Nostram prosequi soletis. Viuite hoc ineunte anno & multis alijs Ecclesiæ & Patriæ florẽtissimi. Quod ex animo voueo & opto. Cracouiæ Idibus Decemb. Anno 1635.

Perillustrium & Admod. Rndarum
DD. æternùm deuotus.
M. STANISLAVS WIECZORKOWSKI.

QVÆSTIO DE VNITATE ANIMÆ.

V. Anima Rationalis existens forma Substantialis Corporis Organici physici, non assistens sed informans: ex natura rei ab omni concretione materialis contagionis libera: & includens Vegetatiuam, Sensitiuam: ac totaliter in omni Corpore, & qualibet illius parte permanens: sit vna numero in omnibus Corporibus seu suppositis: an verò multiplicetur ad multiplicationem suppositorum nec ne?

CONCLVSIO I.

Anima Rationalis est actus seu forma Substantialis & specifica corporis humani, non assistens, sed informans.

COROLLARIA.

I. Anima Intellectiua dat esse substantiale corpori humano & actum primum, relinquens tamen ipsum in potentia ad actum Secundum, & ad esse accidentale.

2. Anima rationalis in homine, tam prout est forma Substantialis Corporis, quàm prout est Intellectiua, est separabilis à corpore.

3. Sola Anima Rationalis est substantia excorporea per se subsistens.

4. Anima rationalis quantum est de se, potest vel ratione libertatis, vel ratione apprehensionis vel ob alias causas cessare à sua operatione.

CONCLVSIO II.

Anima Rationalis secundùm suum proprium esse est omninò incorruptibilis ac immaterialis.

COROLLARIA.

1. Anima humana media inter formas superiores abstra-

abstractas & formas naturales, quæ sunt infra ipsam existens: prout communicat cum substantijs purè Spiritualibus, est principium intelligendi, & prout communicat cum Sensitiuis est principium sentiendi.

2. *Anima Rationaliis semper & in quocúnque statu est Spiritualis, & independens in suo esse, & conseruari, à Corpore.*

3. *Anima singulorum hominum non est ex traduce, sed in ipso generationis puncto, cum materia eousq; disposita est vt ad receptionem formæ Substantialis, quæ faciat hominem ex embrione sit apta, immediatè à solo Deo, ex nihilo creatur, simulqúe toti corpori & cuilibet parti coniungitur.*

4. *Quotidie Deus nouas creando animas pro necessitate, nouis Corporibus benè organizatis infundit & infundendo creat.*

CONCLVSIO III.

In vno & eodem homine præter Animam Intellectiuam, non reperitur alia vegetatiua & sensitiua, realiter distincta.

COROLLARIA.

1. *In eodem homine non sunt tot formæ Substantiales, quot sunt prædicata quidditatiua, quæ de eo possunt prædicari.*

1. *Ani-*

2. Anima humana includens in se eminenter formaliter vegetatiuam, Sensitiuam & alias formas, licèt sit vna & simplex secundùm essentiam, est nihilominùs multiplex virtute secundùm quod est principium diuersarum operationum specie distinctarum.

3. Anima Rationalis non est adeò simplex vt omnimodam excludat compositionem saltem Metaphysicam quæ est, ex esse, & essentia.

4. Homo non est compositus simpliciter ex Anima Intellectiua & Materia nuda, sed ex Anima Intellectiua tanquam forma substantiali, & corpore misto, tanquam ex Materia.

CONCLVSIO IIII.

Anima Rationalis secundùm suam entitatem indiuidualem seu rationem atomam totaliter est in quauis corporis parte.

COROLLARIA.

1 Anima Rationalis non ita est in corpore vt remex seu motor nauis est in naui. Et habitator domus in domo, sed per modum formæ viuæ totalitate essentiæ & potentiæ est tota in omnibus, & singulis numero partibus.

2. Et tametsi in corde dicatur esse principaliter iuxtà Philosophum: nihilominùs in omnibus corporis partibus

bus quas informat, quippè tàm homogeneis, quàm heterogeneis, ipsius essentia deprehenditur.

3. *Anima Intellectiua propter suam simplicitatem & virtutem quam mediante corpore exercet, est inextensa & indiuisibilis: Vnde absciso digito nec corrumpitur, nec se contrahit.*

4. *Sanguis, Cholera & reliqui humores, informantur eadem anima, quâ totum compositum, in quo reperiuntur.*

CONCLVSIO V.

Anima Rationalis & Intellectus non est vnus numero in omnibus corporibus, sed diuersis suppositis, assignantur diuersæ & distinctæ numero animæ, & diuersi numero Intellectus.

COROLLARIA.

1. *Erronea est Auerrois doctrina, & principijs Philosophiæ contraria quæ asserit Animam Intellectiuam esse vnam quâ omnes homines intelligunt.*

2. *Licèt multiplicatio plurium indiuiduorum sub vna specie sit ratione Materiæ non tamen arguit Animam intellectiuam esse materialem & organicam.*

3. *Et tametsi habeat esse indiuiduatum in corpore ex eius receptione in corpus, nihilominùs non indiuidualiter & singulariter sed vniuersaliter intelligit.*


4. *Vna numero Anima dicitur altera perfectior, non in natura specifica, sed in modo informandi & operandi.*

Omnia ad gloriam Dei Optimi Max. & Sacratissimæ Virginis honorem, quantumlibèt exigua sint cedant.



D. Augustinus in Lib. de Hæresibus.

Fecit DEVS rationalem creaturam quæ summum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando possideret, ac possidendo frueretur.



Sub felicibus auspicijs Admodum Reuerendi Patris ac Magnifici Domini D. M. ADAMI OPATOVII S. Theologiæ Doctoris & Professoris, Jagelloniani Contubernij Prouisoris, ad Aedem S. Annæ Decani: necnon Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Generalis RECTORIS.